
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA;

SVAM

AVVONTE SUMMUM

EX AUCTORITATE RECTORIS ACADEMIAE

D. GEORGI BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI

INAUGURALIS

ANGLISSIMAE SENATUS ACADEMICI Constanti

Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Doctoris

1850

GRADU DOCTORIS

SUMMISSORUM IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITAE ET LEGITIMAE CONSEQUENDIS;

EXPOSITIO EXAMINI SUBJECTA

CAROLUS BROWN

JANUARIENSIS

SCOTT. REG. MED. SOCI. EXTRAORD.

Edinburghensis

Victoriae, Bunch III

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis

EDINBURGI:

EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

M DCC XCVII

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS BROWN,

JAMAICENSIS,


SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

“ *Fœdissima ventris*

“ *Proluvies.*”

VIRGIL. *Æneid.* III.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.



EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCVII.

VIRIS OPTIMIS

AVUNCULIS

JOANNI NEUFVILLE

ET

JACOB NEUFVILLE

JAMAICENSIBUS

ARMIGERIS

OB

BENEFICIA FLURIMA

BENIGNISSIME

COLLATA

HANC DISPUTATIONEM

STUDIORUM

FRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. B. COVE

JORORIS

FILIUS

CAROLUS BROWN

VIRIS OPTIMIS,
AVUNCULIS,
JOANNI NEUFVILLE

ET
JACOB NEUFVILLE

JAMAICENSIBUS,

ARMIGERIS,

OB

BENEFICIA PLURIMA

BENIGNISSIME

COLLATA,

HANC DISPUTATIONEM,

STUDIORUM

PRIMITIAS,

GRATO ANIMO

D.D.CQUE

SORORIS

FILIUS

CAROLUS BROWN.

DISPUTATIO MEDICA

DE

INNOVATIONIBUS

JOANNI NEUVILLE



JACOB NEUVILLE

D. J. S. B. N. T. E. R. I. A.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

EDITION

1714

ET

ALBANI

ALBANI

ALBANI

ALBANI

ALBANI

ALBANI

D. J. S. B. N. T. E. R. I. A.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

§ I. **E**X morbis, qui, in regionibus calidioribus, grassari solent, nullus dysenteria frequentior est, aut sua natura periculosior. Quocirca, de hoc morbo quaedam scribere, quae, copia a professoribus almae hujus academiae data, edam, mihi in animo est.

II. Dyfenteria quàm funefta fit tam claffibus, quàm exercitibus, hiftoria rerum bellicarum fatìs fupèrque oftendit. Quàm fæpe, eheu durum ! nautæ et milites, quibus nullus labor infolitus, nullus formidulofus hoftis, quique fæpe fortiter pugnando infeftiffimas acies primo impetu profligârunt, et munitiffimas expugnârunt urbes, naturâve et munitione parum tutas defenderunt, ipfi dyfenteriâ catervatim profrati funt.

III. Parum ad naturam dyfenterix patefaciendam et illustrandam conferret, omnes controverfias, quas de idoneo nominis fenfu medici moverunt, recensere et redintegrare.

IV. Neque profectò minùs alienum effet, omnes recensere fpecies, in quas hunc morbum dividere quibusdam medicis recentioribus placuit. Etenim varietates, quas his fpeciebus fignificandas volunt, non ex caufis diverfis excitantibus,

citantibus, sed potiùs ex regionis cœlique natura, corporis proprietate et temperamento, anni tempestate, ipsius morbi vi, atque aliis pestilentibus morbis simul grassantibus, oriri videntur. Quinetiam, omnes hæ varietates, seu species, in eâdem ferè corporis parte consistunt, imò et omnibus eadem ferè medendi ratio convenit.

V. Cùm ita (IV.) fit, non possum, quin ad sententiam CULLENI accedam, qui unam tantùm dysenterix speciem esse censet, quam definit his verbis: “ Pyrexia contagiosa; dejectiones frequentes, mucosæ, vel sanguinolentæ, retentis plerumque fæcibus alvinis; tormina; tenesmus*.”

VI. I. Quod ad prima verba hujus (V.) definitionis attinet, non possumus, quin CUL-

LENO

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* Tom. II.

LENO repugnemus. Nam, etiamsi dysenteria, ab initio plerumque ad finem, febrem habeat, tamen interdum vel nulla febris comitatur, vel adeò saltem obscura, ut haudquaquam evidens sit. Præterea, minimè constat, febrem, quoties urgeat, semper pestilentem esse. Quamquam enim *typhodes* plerumque est, tamen nonnunquam, verno potissimum tempore, ardens; imò haud rarò intermittens vel remittens, quæ sanè, utpote cùm ad genus pestilentium febrium non pertineant, neutiquam contagione vulgantur.

2. Cùm ita (VI. I.) fit, dysenteria, ut nobis videtur, multo aptiùs definiri potest:
 “ Morbus pestilens, febrem ferè semper, at
 “ non eandem, plerumque tamen *typhoden*,
 “ habens; dejectiones frequentes, mucosæ,
 “ vel sanguinolentæ, retentis, vel saltem par-
 “ ciùs ejectis, fæcibus alvinis; tormina; te-
 “ nefmos.”

SIGNA.

S I G N A.

VII. Quò natura dyfenteriaë magis patefiat, primùm figna, quæ hanc ferme femper comitantur, et igitur *PROPRIA* habenda funt, narrare conabimur; deinde ea, quæ interdum tantùm et quibusdam ægris accidunt, et ideo haud ineptè *ALIENA* appellari poffunt.

VIII. *PROPRIA*.—Morbus, quem perfequimur, nonnunquam inopinatus et violentus invadit. Plerumque tamen ægrotans dolorem capitis, vertiginem, naufeam, inflationem, alvique tarditatem et duritiem, paucos ante dies conqueritur, quàm propria dyfenteriaë figna fe manifeftant.

IX. Tum verò apparent figna, quæ nullam dubitationem apud medicos relinquunt, quin
dyfenteria

dysenteria invaserit. Frigore et calore corpus vicissim pervadentibus, ægrotus nunc intremiscit, nunc incalescit. Arteriarum ictus solito frequentiores sunt. Tormina modò supra umbilicum, modò infra, gravissimè vexant. Æger solito sæpius cacaturit, defidet, et dejicit.

X. In unum tamen alterumve diem, quæ dejiciantur, ea copiosa sunt, neque a naturalibus multùm diversa, nisi quòd aliquantùm spumosa sunt atque cum mucò commistà, et rancidi odoris foeditatem sibi propriam emittunt*.

XI.

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, edit. sext. pag. 230.

MILLAR. *Observations on the Diseases of GREAT BRITAIN*, pag. 277.

SCHROEDER. *Opusc.* ed. ann. M,DCC,LXXVIII. tom. I. p. 333.

XI. Lingua mucò albo squalet : saliva amarescit : æger nauseat ; neque rarò materiam subviridem, aut sufflavam, aut rufam, evomit.

XII. Omnia nunc in pejus ruunt. Tormina intenduntur ; atque in imo maximè abdomine excruciant, et in ea parte dorsi, quæ flexui sinuati intestini objacet *. Dolores ante singulas dejectiones ingravescunt ; post, aliquantisper levantur. Venter intumescit, et intenditur. Æger nunc frequentissimè dejicit ; atque, quæ dejiciuntur, ea parca sunt, plerumque sanguinolenta, ac cum magnâ aquæ et spumei mucii copiâ commixta. Ferè constans dejiciendi cupiditas est ; atque, quoties desidet æger, ei ipsa profectò alvus moliminibus egeri videtur. Simul frequentissimus tenesmos est.

XIII.

* Vid. BAKER. *De Dysenteria*, pag. 19.

XIII. Ex quo tempore dysenteria sic (xii.) in pejus ruit, ad id quo remittere incipit, dejectis ex cibo rectè cocta nunquam, vel faltem rarissimè, interponuntur. Siquando stercus egeritur, erumpit in gibbosas et duras massulas figuratum, quæ, medicorum linguâ, *scybala* nominantur. His infrà transmissis, febris plerumque ipsa, et cætera signa remittunt.

XIV. Quanquàm dysenteria graviter urget, in longum tamen tempus haud rarò continuat. In hebdomadas sæpe, in menses nonnunquam, producitur; cùmque inveteraverit, subito signorum auctu tollit hominem, aut excruciat.

XV. Nonnunquam hic morbus sponte definit. Desidendi cupiditas rarior fit rariorque: tormina paulatim et tenesmos remittunt: post aliquantò venter reddit mollia, figurata, atque eodem ferè tempore, quo secun-

dâ valetudine assuevit, modoque convenientia his, quæ assumuntur: a superioribus ventris partibus sonitus ad inferiores devolutus, sine difficultate aut dolore cum stercore excedit.

XVI. Dysenteriaë verò graviores, sive eas magna vis causarum fecerit, sive mala curatio intenderit, paucis haud rarò diebus vires consumunt, ægrosque præcipitant.

XVII. Gravioribus (xvi.) dysenteriis pars ventris inflammatione capitur, atque tantùm abest, ut febris et cætera signa leventur, ut multùm intendantur. Nunc enim alvi dejectiones adeò frequentes sunt, ut fidem ferè excedant. Tormina graviora, tenesmos gravior, excruciant: languor maximus, lassitudo maxima, sunt: fitis insedabilis accenditur: ori amaritudo est; præcordiis gravitas: oculos fugit vocatus nequicquam somnus: toto corpore defluunt vires: perpetuum ferè alvi deside-

rium est ; atque humores, qui sitim expleant, assumpti, ægro ipsi per alvum, tanquam per colum, protinùs perfluere videntur*.

XVIII. Simul dolor ferè perpetuus et vix tolerabilis urget ; præ quo, magna spirandi difficultas est †. In faucibus plerumque *aphthæ* proveniunt. Arteriæ imbecilliter et exiliter micant. Linguae crusta nigerrima crassissimaque obducitur. Excreta, ægro incio, infrà erumpunt, atque magnam odoris fœditatem emittunt.

XIX. Ægri viribus nunc morbi gravitate ferè consumptis, gelido frequenter sudore extrema membra, et summum ubique corpus, manat : facies pallescit, et ferè cadaverosa fit ; ejusque notæ solito minores fiunt : pulsus arteriarum

* Vid. HUNTER. *Diseases of the Army in JAMAICA*, p. 222.

† Vid. CLEGHORN. *Diseases of MINORCA*, cap. v. p. 245.

teriarum intermittunt, vel profus cessant : tandem, dolore ex toto conquiescente, superveniunt singultus, delirium, convulsiones, mors.

XX. Dyfenteria certis neque tempore neque signis finitur. Plerumque, inter septimum et decimum quartum diem, desinit. Haud rarò tamen per complures hebdomadas porrigitur, et in simplicem tandem diarrhœam transit; quæ vel lævitate intestinorum vel *hecticâ* superveniente tenuatum ægrum de medio tollit. Aliquando etiam hydrope aut rheumatismo, rarissimè infaniâ*, dyfenteria finitur.

XXI. *ALIENA*.—Incipiente morbo, pulsus plerumque fit debilis et frequens; aliquando autem naturalis est, neque ullam febrem indicat. Nonnullis dyfentericis, tertio morbi die quar-

tove,
* Vid. BAKER. *De Dyfenteria LONDINIENSI*,
pag. 21.

tove, intermittens fit; neque tamen magnum discrimen denunciat*. Alius plerumque est, prout dysenteriam alia comitetur febris.

XXII. Etsi dysenteriam febris plerumque comitetur, haudquaquam tamen affirmare audeamus, nullam existere dysenteriam, quin evidentem febrem habeat. Namque dysenterici, sicut a fidis auctoribus accipimus, nonnulli fuerunt, quorum febris non perpetua erat, imò alii, quos nulla omnino invasit †.

XXIII. Verùm rari tamen dysenterici sunt, quin seriùs ociùs febricitent. Febris autem,

* Vid. DEGNER. pag. 18.

† Vid. SYDENHAM. *Oper. Univers.* edit LUGDUN.

BATAV. ann. M,DCC,XLI. pag. 178. ubi his verbis loquitur, “ sæpe verò nulla
“ antecedit febris præsensio.”

AKENSID. *Commentar. De Dysentericis,*
edit. LOND. M,DCC,LXIV. pag. 6.

CLEGHORN. *On the Diseases of MINORCA,*
edit. LOND. M,DCC,LXXIX. pag. 245.

qua corripuntur, gradu et genere varia est, pro variis corporum proprietatibus, grassanti-umque in vicinia febrium naturis. Nonnunquam levis est; nonnunquam gravis. Genere plerumque ea est, quæ *typhodes* nominatur; haud tamen rarè ea, quæ *synocha*: imò nonnunquam ad genus pertinet intermittentium remittentiumve. Interdum, ut certiores nos faciunt graves auctores, hæ febres in dysenteriam desinunt; aliquando, at rarissimè, dysenteria his febribus terminatur*. Quam dysenteriam *typhus gravior* comitatur, ea plerumque lethalis est †.

XXIV. Inexplebilis ferè fitis nunquam non urget. Appetitus plerumque deficit: interdum

* Vid. HUNTER. *On the Diseases of the Army in JAMAICA*, p. 218.

MOSELEI. *On Tropical Diseases*, pag. 214.

ROEDERER. *De Morb. Mucos.* pag. 221.

† Vid. PRINGEL. *Diseases of the Army*, pag. 221.

dum autem adeò non languidus est, ut voracior fit, quàm ex consuetudine *. Vomitus, quo dyfenterici plerumque vexantur, morbo ferè semper, licet aliter videtur RICHTERO, opitulatur †. Dyfentericorum alvus variè se habet. Initio morbi, aliquando fluit, at multo sæpius astricta est.

XXV. Neque, quæ descendunt, ea in omni morbi gradu eadem sunt. Aliquando loturam carnis simulant. Haud rarò magna copia sinceri cruoris, interdum quanta affert mortem, egeritur ‡. Ab aliis dyfentericis dejiciuntur massulæ albidæ puri concreto haud absimiles, quæ *CORPORA PINGUIA* nominantur.

Alii

* Vid. DUNCAN. *Annal. Medicin.* tom. I. pag. 46.

ZIMMERMAN. *Oper. suprà citat.* pag. 143.

LAURIC. apud HALLERI *Disputationes ad Med. Pract. pertinent.* tom. III. pag. 424.

† Vid. RICHTER. *Med. and Chirurg. Observ.* pag. 99.

‡ Vid. MOSELEI. *On the Diseases of Tropical Climates,* p. 228.

Alii quædam excernunt, quibus forma membranularum communis est, et quibuscum fæces purulentæ aut cruentæ mistæ sunt. Hujusmodi membranulæ a quibusdam, at, ut nobis videtur, perperam, strigmenta interioris intestinorum tunicæ habentur. Aliàs, at rariùs, neque antè quàm inveteravit morbus, sola purulenta egeruntur. Interdum etiam dysenterici tetros vermes suprà et infrà transmittunt*.

XXVI. Urina dysentericorum, ab initio morbi usque, parcior est et rubrior, quàm ex consuetudine. Aliquando autem pallida, atque, velut aqua, tenuis et diluta est. Nonnunquam quasi lactea est: imò interdum nigra, et, haud secùs atque fæces, pessimi odoris †. Dolor vel ardor, inter urinam reddendum,

* Vid. PRINGEL. pag. 228.

HUXHAM. *De Aère et Morb. Epidem.* ad
ann. M, DCC, XLIII. mense Maio.

BAKER. *Opusc. sup. citat.* pag. 21. et alib.

† Vid. ZIMMERMAN. *On Dysentery*, ANGLICE
vers. a HOPSON. edit. 2. pag. 165.

dum, haud infolitus est. Interdum, per complures dies, nulla ferè urina redditur *. Nonnulli dyfenterici simul cum urina particulas, quæ strigmenta internæ vesicæ tunicæ simulant, emingunt †.

XXVII. Interdum dyfenterici delira fantur, et alto sopore, cui apud medicos *coma* nomen est, obruuntur. Infantes, præ adultis, sicut propriâ experientiâ cognovit auctor ex ingenio clarus, sopore opprimuntur; atque haud rarò tanta eos vis spasmodum corripit, ut sensus ex toto aboleatur ‡.

XXVIII. Eorum, qui graviore dyfenteriâ implicantur, cutis hìc illic *petechiis* et vibicibus variatur, iis profectò haud absimilibus, quæ

* Vid. DEGNER. pag. 17.

BAKER. pag. 21.

SCHROEDER. *Opusc.* pag. 337.

† Vid. SCHROEDER. *Opusc.* pag. 337.

‡ Vid. ZIMMERMAN *Op. sup. citat.* pag. 4.

quæ peste implicitorum cutem insigniunt ; et in ulcera, quæ sanari recusant, plerumque transeuntibus *. Aliquando etiam vesicæ amplæ feroque sanguinis repletæ, hîc illic in cute conspiciuntur †.

C DIAGNOSIS.

* Vid. DEGNER. *Opusc.* pag. 18.

† ZIMMERMAN. *Oper. sup. citat.* pag. 166.

D I A G N O S I S.

XXIX. Dyfenteriam aliis inteftinorum morbis dignofcere, quibus cum ea quorundam fignorum communitas eft, præcipuè diarrhœâ, cholerâ, et colico dolore, imprimis difficile eft.

XXX. Plerumque, utrùm urgeat dyfenteria, an unus morborum quos modò (xxix.) memoravimus, certò fcire poffumus, animadvertendo, quæ fit graffanti morbi natura, atque febris, necne, urgeat. Quum enim diarrhœâ, cholerâ aut colico dolore afflicti, nunquam, nifi jam diu ægrotaverint, febricitent; dubium vix poteft, fi in vicinia dyfenteria graffetur, quin, qui febriant, fimulque cæteris fignis, quæ dyfenteria propria fuprà (viii.—xx.) memoravimus, afficiantur, ii dyfenteriâ laborent.

XXXI. Quibus verò signis incipiens dysenteria ab incipiente diarrhœa certò distingui possit, arduum in primis est dicere, et diu inter medicos in varias partes disputatum. Verùm scire tamen potest medicus, uter morborum urgeat, considerando, qua causâ in morbum æger inciderit; atque animadvertendo, quæ qualiaque alvus infrà transmittat. Namque, quæ diarrhœâ correpti dejiciunt, ea copiosiora sunt, quàm ex consuetudine, at cæteroquin ferè qualia sani alvum homines excernunt: contrà, dysenteriâ laborantes non solum infrà transmittunt, quibus cum naturalibus nihil ferè commune est, quæque rancidi odoris fœditatem sibi propriam emittunt; sed etiam gravioribus, quàm diarrhœâ ægri, tenesmo et torminibus vexantur.

XXXII. Vomitus frequens, furarum spasmi, et febris vacuitas, choleram a dysenteria factis distinguunt.

XXXIII.

XXXIII. Dolore colico cruciatis dolor vel circa umbilicum maximè torquet, vel, huc illuc, vagatur; atque alvus pertinacissimè astricta est. Contrà, dyfenteriâ vexatis imus venter potissimùm dolet, ac foedissima alvi proluvies est.

PROGNOSIS.

P R O G N O S I S.

XXXIV. Dyfenterici nunquam periculo vacant. Morbus enim, quo laborant, adèd fanatu difficilis est, atque, postquam in eo est, ut fanetur, adèd sæpe levissimis causis recrudescit, ut prudens medicus securitatem pollicere rarò audeat. Sanationem tamen haud rarò admittit, si ei tempestivè et idoneis medicamentis subveniatur.

XXXV. Inter medicos consentitur, quo properantiùs et violentiùs dyfenteria invadit, in eo magis præcipiti periculo ægrum versari. Cæteris paribus, hic morbus calidas regiones, quàm frigidas, habitantibus funestior est. Quinetiam, si senio confectos adoriatur, ferè semper lethalis; itidemque si puerperas, licèt auctori

auctori cuidam apud HALLERUM aliter videatur*.

XXXVI. Quò verò certiùs, utrùm dysenteria fanitatem polliceatur, an periculum denunciet, præfagire possimus, opus erit animadvertere, signa levia an gravia sint, atque morbus, necne, inveteraverit.

XXXVII. Scire licet, non periclitari dysentericum, si signa leviora sunt; si vires nondum multùm fractæ sunt; si febris vel parva est, vel jam remisit, aut, quod adhuc melius, desivit; si venter reddit copiosa, stercorosa, modoque

* Vid. HALLER. *Disput. ad Med. Pract. pertin.* tom. iii. pag. 410. ubi scribit auctor his verbis.
 “ Observavi, potiùs legitimo accedent: partûs tem-
 “ pore, mulieres dysenteriâ affectas meliùs habere
 “ cœpisse; malo, tamen, post partum plerumque dif-
 “ ficilem, in infantem recens exclusum, delato, quem
 “ ob morbi atrociam, tenerioremque corporis consti-
 “ tutionem, post levius temporis spatium, vitâ ple-
 “ rumque excessisse recordor.”

modoque convenientia his quæ assumuntur. Non protinus neque semper terrere debet, nisi morbo jam vetere, si multus sanguis infrà erumpit: neque vermes descendisse, periculosi semper morbi est.

XXXVIII. Contrà, gravis morbi periculum est, ubi medicamenta jam data nihil levaminis afferunt: ubi febris intenditur: ubi vomitus ægrum graviter concutit. Pessimum tamen est, si dejectionibus dolor non levatur: si alvi desiderium frequens admodum est, atque, quæ descendant, ea copiosa sunt, pessimi odoris, at quibus nullum stercus continetur: si ea, quæ excernuntur, carunculas, vel membranulas ab intestinis abrasas, modò diversis temporibus, modò simul et in mistura quadam, discreta tamen repræsentant.

XXXIX. Summum etiam periculum ostendit anus adedò astrictus, ut clysterem non intro-
mittat.

mittat. Mortem subesse, testantur urinæ ardor et difficultas : neque facilè is dyfentericus servari potest, qui urinam reddere non potest. Illud quoque mortis indicium est, abdomen tumidum, intentum, neque prementi cedens. Increfcente morbo, singultus haud semper periculum ostendit ; morbo verò inveterato, gangrænæ indicium est, et mortem denunciat. Eadem mors denunciatur, ubi fitis inexplebilis urget : ubi lingua arida et scabra est, atque *aphthis* fœda : ubi, in carpo, arteriarum pulsus intermittit, vel quiescit. Ad ultima verò jam ventum esse, testantur facies cadaverosa, mentis alienatio, musculorum singultus, devorandi impotentia, aqua pessimi odoris ex ano effluens.

EXTISPICIUM.

XL. Cadaveribus dysentericorum ferro patefactis, eadem semper morbida insipientibus non apparent; sed aliis alia, pro morbi fede et gravitate. Quæ maximè morbida oculis exta introsipientium se obtulerint, quàm brevissimè verissimèque dicere nobis consilium est.

XLI. Abdomine aperto, conspiciuntur intestina pleniora, at maximè sinuatum et rectum, contra consuetudinem crassa, atque spiritu distenta. Porrò in his haud rarò apparent indicia inflammationis, imò etiam exulcerationis atque gangrænæ. Quum dysenteria intestina tenuiora rariùs occupet, sæpe nulla eorum pars, præter ilei extremitatem, morbida reperitur. Sinuatum intestinum et rectum plerum-

D

que,

que, hìc illic, contractiora sunt, quàm ex consuetudine.

XLII. In plurimis dysenteriâ defunctorum cadaveribus, interior ubique facies intestinorum maximâ vi tuberculorum cooperitur; quæ, nisi quòd inter se magnitudine non tam æqualia sunt, pustulis *variolarum confluentium* haud abfimilia sunt*. Tuberculorum interstitia occupant maculæ quædam parvulæ, rotundæ, nigræ; illas, profectò, simulantes, quæ interstitia pustularum, quas excitavit tabum *variolosum*, aliquando obfident †.

XLIII.

* Vid. BAKER. *De Dysenteria*, LOND. pag. 38. 40. 44. 47.

† Vid. BAKER. *ejusd. oper.* pag. 45.

CLEGHORN. *Diseases of MINORCA*, pag. 246.

PRINGEL. *Oper. suprâ citat.* edit. sext. pag. 245. et 248.

XLIII. Horum (XLII.) tuberculorum cum originem tum progressionem accuratè, putamus, descripsit auctor fidus in primis, cujus ipsa hinc verba ponemus.

XLIV. “ Upon a nearer inspection, by cutting out portions of the gut, and examining the internal coats, the appearances of disease become more evident. There are to be seen small tubercles, like pustules, sometimes in a smaller, sometimes in a greater number; and they are to be found in different stages, so that their progress can only be collected from several observations combined. The same subject will frequently
“ furnish,

Vid. LINNÆI in Amœnitat. Acad. tom. v. Dissertat. LXXXII. ubi his verbis scribit; “ Dysenteria *epidémica* scabies est intestinorum interna; ut ex dissectionibus cadaverum dysenteriâ defunctorum patet.”

“ furnish, in different portions of the gut, ex-
 “ amples of the several stages.”

XLV. “ Their progress appears to be near-
 “ ly as follows ; there is first a small round
 “ tubercle of a reddish colour, and not more
 “ than one-tenth of an inch in diameter ; it
 “ increases gradually, till it be near a quarter
 “ of an inch in diameter, and becomes paler,
 “ as it grows larger. In this stage, there
 “ appears a small crack on the top with a slight
 “ depression, which gradually increase ; and,
 “ on examining the contents of the little tu-
 “ mor, I have generally found them to be a
 “ cheese-like substance. The pustule,—for
 “ though it contain no pus, I do not know any
 “ name more expressive of its appearance,—is
 “ seated under the villous coat, between that
 “ and the muscular coat. As the opening en-
 “ larges, the edges become prominent, and the
 “ base grows rough and scabrous, from which
 “ matter

“ matter oozes out, that is sometimes tinged
 “ with blood.”

XLVI. “ Such is the progress of one, but
 “ they are often in clusters, and become con-
 “ fluent, so as to form a rough unequal ulcera-
 “ ted surface, with a hard thickened base.
 “ Sometimes they appear like a small eating ul-
 “ cer in the gut, in which the prominence of
 “ the edges gives an appearance of a loss of
 “ substance, or as if the villous coat were en-
 “ tirely removed *.”

XLVII. Dysentericis omnia ferè alia abdo-
 minis viscera, ut ex incisís cadaveribus constat,
 plùs interdum morbida minùsve sunt ; at aliis
 alia. Introsipientibus sæpissime indubia aut
 inflammationis, aut ulcerationis, aut gangrænæ
 vestigia exhibent.

CAUSÆ

* Vid. JOAN. HUNTER. *On the Diseases of the Army*
in JAMAICA, p. 23c.

CAUSÆ REMOTÆ.

XLVIII. De remotis dyfenteriaë caufis, adeò inter medicos difcrepat, ut, cui fidem ponamus, quem ducem fequamur, non poffimus difcernere. Ferè omnes tamen auctores uno ore confentiunt, graffantem dyfenteriam mares æquè ac fœminas, quacunq;e fint ætate, quocunq;e temperamento et corporis habitu, adoriri, neque quidem teneris parcere infantibus *.

XLIX. At maximè tamen fœvit hic morbus in regionibus calidioribus et in locis paludofis, eo anni tempore quo calidos dies excipiunt humidæ frigidæque noctes. Verùm omnibus tamen anni tempeftatibus interdum inva-

* Vid. SCHROEDER. *Opufc.* tom. i. pag. 327. dit,
 SYDENHAM. *Oper.* pag. 180.
 ZIMMERMAN. pag. 19.

dit, licèt multo sæpius fugiente æstate, et labente autumno, quàm vere, grassetur. Appetente hieme, paulatim ferè remittit, et, pòst aliquantò, ex toto desinit.

L. Dyfenteriâ ii, præ cæteris, corripiuntur, quibus ventriculus et intestina antea debilitata sunt; quorum vires antecedentes morbi consumpserunt * ; qui, icibus fervidi solis supra consuetudinem calefacti, aëri humido frigidoque subitò objecti sunt.

LI. Quum dyfenteria, iisdem prorsùs regionibus temporibusque, quibus cholera, plerumque sævire soleat; illam, pariter atque hanc, bilis redundantis et solito acrioris prolem esse, medici

* Non ita opinatur ROEDERERUS, qui his verbis, hac de re, scribit, “ febris intermittens qualiscunque prægressa, bene soluta, omnium præstantissimum contra dyfenteriam, æquè ac febrem mucosam, fuit præsidium *.”

* Vid. ROEDERER. *De Morb. Mucos.* pag. 22.

medici quidam rati sunt. Quia verò cholerae et dysenteriae vix ulla signorum communitas est, atque dysentericis dejectiones biliosae levamen plerumque afferunt *; idcirco, his morbis communem esse parentem, credere non possumus.

LII. Quanquam enimvero bilis, quæ, initio dysenteriae, contra consuetudinem supra redditur, committat, ut ipsa vitari videatur; tamen, cum, procedente morbo, evomi prorsus definit, revera vitari credere non licet. Cadaveribus, porrò, dysentericorum incisis, hepar et tenuiora intestina, quæ fellis vitiiis affici solent, vel sana, vel saltem multo minùs, quàm pleniora, morbida reperiuntur. Quinetiam, in dysentericorum cadaveribus, bilis interdum non parca modò, sed sana quoque, extispici- bus se offert.

LIII.

* Vid. CULLEN. *First Lines*, § M, LXXIII.

PRINGEL. *Diseases of the Army*, pag. 258.

LIII. Graves auctores haud pauci * contendunt, dyfenteriam ex eadem causa, qua febres intermittentes, oriri; neque profectò defunt argumenta, quibus eorum opinio verifimilis reddi poffit. Primùm enim dyfenteria, iifdem locis et ànni temporibus, quibus intermittentes, maximè urget. Deinde, locis temporibusque per omnia iifdem, illi dyfenteriâ, hi intermittentibus, corripuntur, atque correpti laborant et tenuantur. Tum, interdum, ut ferunt auctores, dyfenteria et intermittens, altera in alteram, tranfeunt. Postremò, qui intermittentibus opportuniffimi fint, iidem, ficut a gravi auctore accipimus, aptiffimi funt, qui dyfenteriâ plectantur †.

E LIV.

* Vid. SYDENHAM. Oper. pag. 45. et 190. et alibi paffim.

PRINGEL. Oper. fuprà citat. 253.

MILLAR. *On the Difcafes of GREAT BRITAIN.*

† Vid. ROEDERER. *De Morb. Mucos.* pag. 22.

LIV. Verùm hæc rerum (LIII.) communitas, quæ dyfenteriæ cum intermittente intercedit, utcunque magna, neutiquam tamen factis probat, hos morbos naturâ et genere convenire, neque alio differre, nisi quòd ille induntaxat intestinis consistat, hic verò in toto corpore. Namque, si, ut illis auctoribus placet, ex eadem proclivitate iisdemque causis excitantibus utrique morbi orientur *, quamobrem febris, qua urgentur dyfenterici, non semper ad intermittentium genus pertinet? Verùm, enimvero, etiam si concedamus, concitantes causas utrorumque morborum communes esse, nisi quòd, præ quadam dyfentericorum proprietate, intestina potissimum pleniora, magis quàm cæteras corporis partes, afficiunt; tamen non possumus, quin opinemur, dyfentericorum et intermittente laborantium communia quædam totius corporis mala effecturas. At ita opinari nobis idcirco non licet, quòd dyfenteriam

modò.

* Vid. PRINGEL. Oper. suprâ citat. pag. 252. et 253.

modò *synocha*, modò *typhus gravior*, comitatur.

LV. Quinetiam, accedimus ad sententiam LINDII, qui cenfet, eas dyfenterias, quæ, fub finem februm intermittentium, oriuntur, *ſymptomaticas* eſſe *. Dyfenteria, porrò, haud rarò graſſatur, ubi febres intermittentes accidere non poſſunt, ſcilicet in navibus, quibus, procul terrâ, mari magno diu navigatum eſt.

LVI.

* “ A neceſſary diſtinction,” ait LINDIUS, “ to be
 “ made between fluxes in all climates is, that thoſe,
 “ which attack perſons in perfect health, may be con-
 “ ſidered as original diſeaſes ; and thoſe, which attack
 “ perſons much weakened by fever, or otherwiſe re-
 “ duced to a very low condition of body, are properly
 “ ſymptomatic, proceeding chiefly from weakneſs, of
 “ which the flux is equally a ſymptom and a proof *.”

* Vid. LIND. *Effay on Diſeaſes in Hot Climates*.
 Edit. quart. pag. 261.

LVI. Nobis cum CULLENO non convenit, dyfenteriam ex tabo pestilente speciali femper oriri. Numne tali tabo oriatur, dubium est; atque, ut nos arbitramur, vanum verfare in contrarias opiniones licet. Qui contenderunt, dyfenteriam tabo speciali generari, ab iis femper concessum est, arduum imprimis esse, unde generetur ipsum tabum, exponere. Neque ausi sunt asserere, tabum dyfentericum perenne esse, nedum subinde ipsum parentibus quibusdam progigni. Ab iis, porrò, qui cum CULLENO consentiunt, ignoratur, qua naturâ tabum fit; vel faltem hoc, neque præterea quid, sciunt, putrificum esse, atque efficere, ut hominum corpora, quæ eo impleta sunt, aptiora fiant, quæ putrescant. Quinetiam silent, quemadmodum signa dyfenteriaë propria faciat.

LVII. Utcunque inter auctores diffideatur de causa, qua dyfenteria progignitur, tamen convenit

venit inter omnes, hanc, si non semper *, at plerumque tamen ministeriis in vicem ac contagione vulgari. Contactu in homines plerumque vulgari dysenteriam, adedò omnibus ferè auctõribus, qui de hac scripserunt, propriâ experientiâ constat, atque adedò inter omnes ferme medicos consentitur, ut esset operam et oleum perdere, res omnes recensere, quibus ita esse probetur. Quocirca, ad rem nostram factis erit, paucas tantùm memorare.

LVIII. “ In camp,” ut a PRINGELIO † accipimus, “ the contagion passes from one who
 “ is ill, to his companions in the same tent,
 “ and

* “ As to contagion from infection,” ait MOSELEIUS, “ in the dysentery, I must confess I never saw an instance of it; neither do I believe there is any such thing *.”

* Vid. MOSEL. *On Tropical diseases*, pag. 267.

† Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, edit. sext. pag. 254.

“ and from thence perhaps to the next. The
 “ foul straw becomes infectious. But the great
 “ source of infection seems to be the privies,
 “ after they have received the dysenteric ex-
 “ crements of those who first fall ill. The hos-
 “ pitals likewise spread it; for those, who
 “ are admitted with the flux, not only give
 “ it to the rest of the patients, but to the nur-
 “ ses and other attendants on the sick.

“ In general, the contagion is not sudden-
 “ ly diffused *. For whole towns and camps
 “ are never seized at once by the impurity
 “ of

* Sæpe accidit, ait MOSELEIUS, ut in castris milites, postquam pluviam perfusi sunt, aut per unam noctem humori et frigori sub dio objecti sunt, eodem ferme tempore centuriatim in dysenteriam incidant. “ And yet
 “ it often happens,” fert idem auctor, “ that the dy-
 “ sentery begins with a few people, and spreads itself
 “ by degrees, until a multitude are affected, and the
 “ disease becomes general *.

* Vid. MOSEL. *Diseases of Tropical Climates*, p. 267.

“ of the atmosphere ; but the infection is car-
 “ ried from one to another by the effluvia, or
 “ clothes, or bedding, &c. of the tainted per-
 “ son, as in the case of the plague, small-pox,
 “ and measles. But the dysenteric miasma is
 “ of a less catching nature than any of these ;
 “ so that in the milder epidemics it may pass
 “ unnoticed.”

LIX. Certiores nos facit gravis idem auc-
 tor*, exhalationes ex humano sanguine, qui,
 per complures menses, in obturata phiala con-
 tentus erat, homini, qui, scientiæ causâ,
 eum explorabat, dysenteriam movisse. Quin-
 etiam, ZIMMERMANNUS scriptis mandavit, ma-
 trem dysentericam dysentericum partum edi-
 disse †.

RATIO

* Vid. PRINGEL. Oper. suprâ citat. pag. 258.

† Vid. ZIMMERMAN. *De Dysenteria*, ANGLICE
 vers. a HOPSON. edit. secund. pag. 19.

RATIO SIGNORUM.

LX. Ex incisis cadaveribus constat, dysenteriam potissimum occupare villosam tunicam sinuati intestini et recti, quæ semper inflammationis vestigia exhibent. Quia, quod ad sedem, dysenteria est quædam similitudo cum *catarrho*, qui mucosam asperæ arteriæ membranam inflammatione afficit, idcirco CULLENUS hos morbos eodem ordine posuit. Ob hanc sedium similitudinem, dysenteria a quibusdam auctoribus nihil aliud, quàm *rheumatismus* seu *catarrhus* intestinorum, maximè pleniorum *, habita est.

LXI. Inter dysenteriam autem et *catarrhum* hoc interest, quòd inflammatio, quam *catarrhus*

* Vid. RICHTER. *Med. et Surg. Observat.* ANGLICE vers. a SPENS. pag. 92.

ribus habet, nunquam, sicut ea quam dysenteria, in suppurationem aut gangrænam abit. Contendi enim non potest, hanc dissimilitudinem oriri ex dissimilitudine partium, quas duo morbi, suam uterque, afficiunt.

LXII. Quum inflammatio, quam dysenteria movet, ab ea differat, quam *enteritis*, non solum quia duntaxat quasdam intestinorum partes afficit, dum cæteris plerumque parcit, sed quia tabo quodam pestilente hominum corporibus admoto oritur; non possumus, quin opinemur, esse inflammationem peculiarem, quæ proprietatem, qua aliis inflammationibus differt, non tam fabricâ partis cui infidet, quàm causa ex qua progenita est, acquirit.

LXIII. Numne huic (LXII.) proprietati attribuenda sint tubercula, quæ pleniora intestina dysentericorum exasperant, atque, utrùm dysentericis, necne, propria sint, nondum di-

F judicare

judicare possumus ; eòque minùs, quòd tubercula his specie similia, in alvo eorum, qui aliis, ac dyfenteria, morbis defuncti erant, post mortem ab extispicibus conspecta sunt.

LXIV. Si, id profectò quod vix dubitari potest, concedatur, pleniora dyfentericorum intestina inflammatione semper capi, haud difficile erit præcipua dyfenteriaè signa exponere. Hoc paucis facere nobis in animo est.

LXV. *TORMINA*.—Quanquam alvus, dum sana est, tum deorsum se astringere et relaxare sine dolore potest, tum sursum ; tamen, si inflammationem capiat, præ nimio sensu, et spasms quibus hìc illic angustatur, nequit, sine gravissimis doloribus, quæ *TORMINA* nominantur, se in utramvis partem movere.

LXVI. *TENESMOS*.—Tormina deorsum, ob confortium, quod omnibus alvi partibus intercedit, devoluta, crebram et inanem egerendi voluntatem movent; quæ *TENESMOS* appellatur, quæque, præ dolore intolerabili, quem facit, miserandis ægris haud rarò mortem infert.

LXVII. *PROCIDENTIA ANI*,—qua dysenterici per sæpe plurimùm vexantur, violentissimis at inanibus, inter desidendum, cùm alvi, tum musculorum quibus anima reciprocatur conspirantium, moliminibus efficitur.

LXVIII. *DEFECTIONES MUCOSÆ*.—Propter nimios alvi motus, quos inflammatio citat, glandulæ ejus mucosæ magnam vim mucii fecernunt, et, ductuum excernentium intermedio, in eam infundunt. Hic mucus, præ morbida acrimonia, quam, haud secùs ac alii secreti humores, quando solito properantiùs et uberiùs secreti sunt, possidet, alvum in motus
vehementes

vehementes et abnormes rapit, quibus, cum intolerando dolore, protinus egeritur.

LXIX. *DEFECTIONES SANGUIOLENTÆ.*—Nimis alvi arteriarum motibus earum exhalantes furculi usque eò dilatantur, ut, contra consuetudinem, cruorem non intromittant modò, sed haud rarò quoque magnâ copiâ in illam viam effundant. Vetere porrò morbo, arteriarum furculi ulceratione, quæ inflammationi supervenit, adeò eroduntur, ut cruore ex his effuso ægroti sæpe absumantur.

LXX. *SCYBALA.*—Quò rationem, quare naturale stercus retineatur, vel infrà transmittatur in duras massulas figuratum, quæ, medicorum linguâ, *SCYBALA* appellantur, reddere possimus; opus est præmittere, internam superficiem intestini sinuati et recti, per totam longitudinem, inflammatione corripit, præ qua,
horum

horum tunicæ, supra consuetudinem, crassescunt.

LXXI. Ob hanc (Lxx.) tunicarum crassitudinem, simulque spasmos, quibus hæc intestina, hîc illic, tanquam constringuntur, iter multo angustius redditur, quàm per quod tenuiora intestina, quamvis parum morbida, imò vel sana, stercus infrà transmittere possunt. Stercus igitur, pervio satis magno, per quod dejiciatur, non dato, aut in imâ intestini impliciti parte aut summâ sinuati remoratur; atque, tenuioribus partibus absorptis, in maiusculas, quæ nequeunt sine impatienti ferè dolore emitti, indurescit.

LXXII. *MASSULÆ SEVCSÆ*, et *MEMBRANULÆ*.

—quas dyfenterici haud rarò excernunt, constant ex mucò spissato, cujus pars, internæ alvi superficiei adhærens, tunicæ villosæ, pro qua a quibusdam multi neminis *anatomicis* habetur,

habetur, speciem repræsentat ; at pars altera, ab alvi superficie dissociata, in massulas dictas *SEVOSAS* concrescit et conformatur.

LXXIII. *URINAM REDDENDI DIFFICULTAS AUT IMPOTENTIA*—irritatione, qua vesica, ob confortium quod ei est cum intestino recto, afficitur, oriri videtur.

CURATIO.

C U R A T I O.

LXXIV. Quò dyfentericos a malis, quibus urgentur, liberemus, et ad fanitatem perducamus, nobis præcipuum consilium est, alvum indurato stercore evacuare. Compertum enim est a medicis, cathartica, quæcunque sint, si modò retento stercore alvum exinaniant, dyfenteriam sanare.

LXXV. Hunc (LXXIV.) in finem, laxantia mitiora anteferenda sunt; atque etiam ex his, quippe cùm iterum assumere iterumque opus sit, mitissima, et quæ ægri minimè fastidiant, anteponenda. Hujus generis nulla dyfentericis meliùs conveniunt, quàm sales neutri; ex quibus optimi habentur *sulphas magnesiæ*,
sulphas

sulphas sodæ, phosphas sodæ, tartris potassæ, acidulus tartris potassæ, ac tartris sodæ.

LXXVI. Interdum opus erit, ut hæc cathartica, secundo tertio quartove quoque die, dysenterici assumant, si jam assumpta non satis responderunt, atque morbi etiamnum vis et ratio majorem usum desiderant. His medicamentis, dummodo consequantur ut stercus in inferiores partes transmittatur, dysenterici adeò non debilitantur, ut vires redipiscantur et vegetiores fiant.

LXXVII. Sin, his (Lxxv.) medicamentis adhibitis, dysenterici non consecuti sunt, ut stercus infrà reddatur, auxilium ex acrioribus petendum est.

LXXVIII. *Manna* vel per se, vel cum fabulis neutris consociata, interdum optatum auxilium affert. Oleum quoque cicinum a
 quibus

quibusdam medicis multum laudatur, atque nullus dubito, quin interdum responderit. Radicem etiam Ponticam cum *muriate hydrargyri dulci*, ad alvum dysentericorum stercore evacuandam, pollere, multi existimant: hæc tamen radix, per se, dysentericis multum nocet, maxime, ut experti sunt præclari medici, morbi initio*. Porro, *tartris potassa stibiatas*, copiâ, quæ alvum, non vomitum, moveat, adhibitus, interdum consequitur, ut dysentericorum alvus stercore excernat.

LXXIX. Cathartics, ne nauseam moveant, jucundum quodvis aromaticum adjicere, utilissimum periculo compertum est. Atque, quò, ad alvum movendam, plus polleant, ægros oportet tenues humores, qui diluant, magnâ copiâ assumere.

G

LXXX.

* Vid. BAKER. *Oper. supra citat.* pag. 28.

MONROE. *Diseases of the Army*, pag. 75.

LXXX. Quoniam dysentericorum alvus gravi inflammatione capitur, acrioribus cathartics quàm rarissimè pugnandum est, imò profectò nunquam, nisi summa necessitas urgeat. Verùm alvum stercore exinanire, ad dysentericos sanandos adeò necessarium est, ut, nisi miora cathartica ad illam deplendam fatìs polleant, his præcipiendum fit, ut alia atque alia acriora, donec inveniant, quod respondeat, experiantur.

LXXXI. *Vomitoria*—dysentericæ, in primis incipienti, multùm opitulantur. Verùm non tantùm, ad hunc morbum sanandum, pollent, quantùm cathartica; neque opus est, ut tam sæpe assumantur. Utile tamen fit ea adhibere, ut febrem atque inflammationem discutiant, ne mala superveniant graviora. Rarò respondent, nisi alvum, pariter ac vomitum, moveant.

LXXXII.

LXXXII. Vomitoria, quibus dysenteriae plerumque subvenitur, sunt *tartris potassæ sibi-atus* ; *ipecacuana* ; aqua ex macerato chamæmelo vel carduo benedicto. Verùm enimvero medicamentorum vomitorii, pariter quàm cathartici generis, mitiora acrioribus anteponenda sunt.

LXXXIII. *Opium*,—postquam alvus et vomitus conquieverunt, horâ somni assumere, dysentericis multùm prodest. Antè autem adhibere, quàm catharticeis et vomitoriis alvus stercore vacuefacta est, nunquam permittendum ; nam ab eo omnino abstinere fatius est, quàm, quod, alvo nondum expurgatâ, morbum intendat, assumere*. Medicamenta, enimvero, quibus ineit opium, priùs a dysentericis adhibita, quàm horum alvus induratum stercus

infra

* Vid. PRINGEL. *Observations on the Diseases of the Army*, pag. 263.

infra transmifit, aptos, uti dicitur, faciunt, qui, postquam convaluerunt, in eundem morbum recidant *. Dyfenteriaë igitur initio, hujusmodi medicamenta, utcunque tormina defiderare videantur, cùm tamen intestinorum motus fedando obftent, quò minùs hæc ftercus induratum excernant, non poffunt, quin multùm noceant.

LXXXIV. At medici tamen haud pauci opio ferè folo cum dyfenteria pugnare folent; neque, ficut ipfi affirmant, ex ejus ufu ægri vel leviffimum unquam detrimentum accipiunt †. Vetuftiore quidem dyfenteria labo- rantibus opio nunquam non opus eft; atque profectò etiam novæ, fi modò alvus jam fatiſ evacuata fuerit, opio optimè ſubvenitur. Imò etiam,

* Vid. YOUNG. *On Opium*, p. 49.

† Vid. SYDENHAM. pag. 185.

RICHTER. *Obſervat.* pag. 108. et alibi paſſim.

etiam, hoc medicamentum et cathartica dysentericis vicissim assumenda curare, utilissimum periculo compertum est. Illo enim assatim assumpto, simulque emollientibus medicamentis in alvum datis, tormina et tenefmos multum levantur.

LXXXV. *Tormina levantia.*—Quando tormina crebros et graves dolores movent, plerumque levari possunt balneo, atque abdomen emollientibus extrinsecus fovendo. Hæc remedia non tormina modò sedant, sed cathartica quoque adjuvant. Tormina etiam mitigantur aquâ, in quam fervidam maceratum chamæmelon fit, necnon exulceratorio abdomini superimposito*, atque emollientibus mitissimis ex inferiore parte inditis. Interdum verò, ob recti inflammationem, vel mitissima emollientia in alvum dare non licet.

LXXXVI.

* Vid. RICHTER. Oper. sup. citat. pag. 110.

LXXXVI. *Sanguinis missio*—dyfentericis anceps remedium est, neque, nisi cautissimè, adhibenda est. Ubi, ut initio morbi interdum est, arteriarum pulsus plenus, durus et frequens, febrem ardentem esse indicat; ubi inflammatio alvi vehemens est, et æger robustus; missio sanguinis requiritur et prodest. Sanguinem verò vel ex hujusmodi ægris iterum iterumque, aut postquam morbus inveteravit, mittere non licet. Quando febris, ut plerumque, putrida est, sanguinis detractio semper nocet. In calidis regionibus dyfenterici sanguinis jacturam pati nequeunt, ob dissipationem virium quæ subitò supervenit.

LXXXVII. *Sudorem moventia*.—Ex opinione, dyfenteriam ex halitu cutis suppresso oriri, nonnulli inducti sunt, ut, quid possint medicamenta quæ sudorem eliciunt, experirentur. Tentata ad spem responderunt. Sic, post sanguinem, si opus, jam missum, assumenda a dyfentericis

fentericis sunt, ut aliquandiu sudorem moveant; simulque, ut plùs ad sudorem elicendum polleant, tepida diluentia affatim adhibenda sunt, et corpus laneis bene vestiendum*. Eâ item copiâ adhibita, qua lenem tantùm cutis halitum evocent, nunquam dysentericis non plurimùm profunt.

LXXXVIII. *Absorbentia et demulcentia.*—

Utrùm signa dysentericiæ, ex acri materia in ipso corpore generatâ, et deinde ad intestina delatâ orientur, nondum satis constat. Convenit tamen inter omnes, dysenteriâ laborantium ventriculo intestinisque acrimoniam redundare, ad quam obtundendam plurimùm valent medicamenta, ex iis quæ acria innocua reddunt, atque ventriculum alvumque illinunt. Hujus verò generis medicamenta nominatim memorare non opus est.

LXXXIX.

* Vid. MOSEL. *On the Diseases of Tropical Climates*, pag. 230. et sequent.

LXXXIX. *Astringentia*.—Ex frequentē defidendi cupiditate, quæ dyfentericis est, nonnulli olim existimârunt, dyfenterię subvenirı posse medicamentis, ex iis quæ alvum astringunt. Verũm, nostris temporibus, concurrunt omnium ferme auctorum opiniones, incipientem dyfenteriam multũ intendere, neque, nisi morbo jam vetustiore, impunẽ assumi posse.

XC. Dyfenteriã vetustã vel longã, quæ, medicorum linguã, vulgò *chronica* nominatur, emacrescentes, alvi torminibus et proluvie vexantur, quæ identidem in diem biduumve rarò amplius intermittunt. Vetustã dyfenteriã ægri, non profluvio modò, sed *hecticã* quoque, macerantur, atque sæpius multo, quàm novã laborantes, morte occumbunt.

XCI. Ad dyfenteriam (xc.) longam sanandam efficacissima medicamenta, ut compere-
runt

runt medici, sunt opium, et medicamenta ex iis quæ alvum leniter laxant. Opus, insuper, interdum est, huic morbo astringentibus opitulari, quorum optima habentur aqua decocta ex cortice quercico, *catebucium* et *simaruba*. Dum horum medicamentorum usu perseveratur, ægris permittendum est, ut non solum cibis valentioribus, sed etiam vino, sibi modicè indulgeant.

XCII. Dysenterix vetustæ, nisi eam comitetur febris intermittens, *cinchonæ* cortex nihil ferè opitulatur. Nunquam prodest incipienti. Interdum, ut periculo compertum est, *aphthas* sanat, quibus, sub longæ dysenterix finem, lingua afficitur*. Cortex ipse in pulverem contritus, minùs, ut contendunt qui-

H

dam

* Vid. WHYT. *Edin. Phys. and Liter. Essays*, Vol. iii. pag. 366.

dam auctores, quàm aqua decocta ex cortice, dysentericis idoneus est*.

XCIII. Calcis porrò aquâ dysenteriaë vetustiori feliciter subventum est †. Idoneus liquor est, in quo *cinchonæ* cortex assumatur.

XCIV. Quinetiam, *sulphas aluminæ* ‡, aquâ coctâ ex astringentibus solutus, vetere dysenteriaë macescentibus proficere a DONALDO MONROE putatur. Balsamum quoque *copaibæ*, unâ cum cortice *cinchonæ* et opio, multùm, ut idem auctor censet, contra longam dysenteriam pollet.

* Vid. MOSEL. *Oper. supra citat.* pag. 236.

† Vid. GRAINGER. *Edin. Physic. and Liter. Essays*, Vol. ii. pag. 282.

‡ Vid. DONALD. MONROE. *Oper. supra citat.* pag. 82.

pollet*. Prodest etiam, ut MOSELEIO videntur, *fulphas zinci* †.

XCV. Hydrargyrus eâ copiâ assumptus, quæ non alvum modò moveat, sed cæterum quoque corpus incitet, efficax, ut testatur idoneus auctor ‡, contra inveteratam dysenteriam medicamentum est. Aliis verò auctoribus parum, ad hunc morbum sanandum, pollere videtur §.

XCVI. Hæc sunt præcipua medicamenta, quibus dysenteriae, cùm recenti tum vetustæ, subvenire

* Vid. DONALD. MONRON. *Oper. ejusd.* pag. 86.

† Vid. MOSEL. *Oper. suprâ citat.* pag. 586.

‡ Vid. CLARC. *On the Diseases of Seamen in long voyages*, Vol. ii. pag. 340.

§ Vid. TROTTER. *Medicin. Naut.*

subvenire solitum est. Eodem verò tempore, quo hæc assumuntur, ratio quoque diætæ habenda est.

XCVII. Diæta constare debet ex iis, quæ, dum satîs nutriunt, levia sunt et concoctu facilia. Hujusmodi sînt juscula ex hordeo aut oryza, quibus cocta caro vitulina aut ovilla fit. Ejusdem quoque generis sunt lac, et ea boni succi quæ a terra stirpibus continentur, præcipuè *cycas circinalis*, *orchis mascula*, atque fructus aciduli pariter ac dulces.

XCVIII. Maximâ quoque munditiæ curâ opus est. Aër igitur purus, qui languidam vitæ flammam salutariter alat, in ægroti conclave intromittendus per apertas fenestras est; curâ simul adhibitâ, ne ex frigore quid detrimenti accipiatur.

XCIX.

XCIX. Ne in morbum recidat convalescens, cavere oportet, ne vicissitudinibus caloris et frigoris se objiciat ; atque, hunc in finem, calido vestitu se induere debet.

XCVII. Dieta, constanti debet ex his, quae dum satis nutriunt, terra sunt et concocti scilicet. Humidiori tunc succula ex hordeo aut oryza, quibus cocta erant, erolius aut ovilla sit. Eisdem quoque sunt lac, et ea boni succi quae a terra siccioribus continentur precipue. Et erolius, erolus masculus, et quae frigoris ventrali partem se dantes.

XCVIII. Moxa, quae modo munda est, cura opus est. Aer igitur pariter, qui languidam vitam humanam sustentat, aliam, in eorum conclave introvertendum per operas lentissimas est ; cura simul adhibenda, ne ex frigore quid de trimento accipiantur.

...XIX. Les animaux se divisent en deux classes, en animaux brutes et en animaux raisonnables. Les animaux brutes sont ceux qui ne sont que machines, et qui ne peuvent penser que par l'impulsion de la nature. Les animaux raisonnables sont ceux qui ont le pouvoir de réfléchir sur eux-mêmes, et de se gouverner par la raison.

Les animaux brutes sont divisés en animaux sensibles et en animaux insensibles. Les animaux sensibles sont ceux qui ont le pouvoir de sentir, et de se mouvoir par suite de la sensation. Les animaux insensibles sont ceux qui n'ont que le pouvoir de sentir, et qui ne peuvent se mouvoir que par l'impulsion de la nature. Les animaux raisonnables sont divisés en animaux raisonnables et en animaux raisonnables raisonnables. Les animaux raisonnables sont ceux qui ont le pouvoir de réfléchir sur eux-mêmes, et de se gouverner par la raison. Les animaux raisonnables raisonnables sont ceux qui ont le pouvoir de réfléchir sur eux-mêmes, et de se gouverner par la raison.

Les animaux raisonnables sont divisés en animaux raisonnables et en animaux raisonnables raisonnables. Les animaux raisonnables sont ceux qui ont le pouvoir de réfléchir sur eux-mêmes, et de se gouverner par la raison. Les animaux raisonnables raisonnables sont ceux qui ont le pouvoir de réfléchir sur eux-mêmes, et de se gouverner par la raison.